



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1857**

XXXVII. Der Propst des h. Geist-Klosters vor Salzwedel verkauft einen Hof  
in Kriecheldorf dem Knappen Philipp zum dienstfreien Besitz, am 23. Juni  
1290.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54909)

Hinc est, quod nos Otto, Dei gratia Marchio Brandenburgensis, presentis scripti contentia ad publicam omnium notitiam cupimus pervenire, quod ad honorem Dei omnipotentis sancteque Dei genitricis Marie et omnium sanctorum, ob salutem nichilominus ac remedium animarum nostrorum progenitorum et heredum nostrorum, ecclesie et conventui seu capitulo sancti spiritus in Saltwedele, site extra muros, villam nostram in Horst, sitam prope Altmersleve, damus et conferimus cum omni proprietate et feudo atque jure, que in ipsa nobis hactenus competebant. Cujus etiam ville feudum Henninghus et ejus fratres dicti de Vifne coram nobis reliquerunt. Dictam itaque villam prefate ecclesie ac capitulo libere et cum omni jure donamus possidendam perpetuo, adjectis conditionibus infra scriptis, videlicet, quod eadem villa ad prefatam pertineat ecclesiam cum usu ac usufructu, cum agris et pascuis, viis et compitis, aquis et piscinis, et generaliter cum omnibus proventibus, qui nobis aut nostris vasallis inde hactenus provenerunt etc. De lignorum vero usibus ville vicinorum Talem ipsius incolis concedimus libertatem, quod de hiis sufficienter utantur sine precio et absque qualibet conuencione ad propria edificia et ad proprium ignis usum. De lignis tamen sectis nichil vendant sed et si carbones conficiunt precio comparabunt, quemadmodum in conuicinis sibi villis est consuetum. Ut autem dicte donationis nostre libertas a nobis et a nostris heredibus inviolabilis perseveret, in certum ac evidens testimonium dicte ecclesie et capitulo prefens scriptum conferimus nostri sigilli appensione communitum. Testes vero sunt Dominus Henricus de Alvensleve, dominus Boldewinus de Knefebeke, dominus Bodo et Sifridus de Walfave et Lindekinus, advocatus in Soltwedel et alii quam plures fide digni. Datum Soltwedel, anno incarnationis Domini Milleesimo ducentesimo octuagesimo nono, undecimo Kalendas Julii.

Aus Danneil's Kirchengeschichte der Stadt Saltwedel S. 4. und Lenz Br. Urk. 879.

XXXVII. Der Propst des h. Geist-Klosters vor Saltwedel verkauft einen Hof in Kriechedorf dem Knappen Philipp zum dienstfreien Besitz, am 23. Juni 1290.

In nomine domini Amen. Ne temporales actus cum tempore per lapsum temporis evanescant, utile est ut aliquantum literarum testimoniis roborentur. Hinc est quod nos Albertus, providentia divina prepositus ecclesie sancti spiritus extra muros in Saltwedele, totusque ejusdem ecclesie conventus universis Christi fidelibus notum esse cupimus, quod communi voluntate Philippo, famulo, curiam unam in villa Krycheledorpe cum omnibus suis attinenciis et unum Cotzatum in eadem villa vendidimus, quem ab omni seruitute liberamus et sub nullius nisi sub predicte ecclesie perpetuo dominio jure hereditatis perenniter possidebit, tali tamen conditione interposita, quod antedictus Philippus vel sui heredes suorumque heredum successores ecclesie supradicte duos choros siliginis in perpetuum conferat annuatim. Testes hujus facti sunt Dominus Boldewinus de Knefebeke, Dominus Bodo de Walfoue, milites, Henricus Perseual, Johannes Burmester, Petrus de Holdenstede, burgenfes in Saltwedele, et alii fide digni. Ne hujus rei oriatur obliuio, hanc literam nostri sigilli munimine duximus roborandam. Datum anno Domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LXXX<sup>o</sup>., in vigilia beati Johannis Baptiste.

Aus Gercken's Fragm. 1, 29, 30., Lenz Br. Urk. 144.